



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum circumcisio fuerit pr[a]paratoria & figuratiua baptismi? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

¶ Secundo, de institutione ipsius.

¶ Tertio, de ritu eius.

¶ Quarto, de effectu ipsius.

ARTIC. I.

Virum circumcisio fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi. Omnis enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur, quod non fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit 1. Cor. 10. de antiquis patribus loquens, quod omnes in nube, & in mari baptizati sunt. Non autem dicit, quod in circumcisione baptizati sint. Ergo processio columnæ nubis, & transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad baptismum, & figuratiua ipsius, quam circumcisio.

¶ 3 Præterea, Supra dictum est *, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi. Si ergo etiam circumcisio fuit preparatoria, & figuratiua baptismi Christi, videtur quod baptismus Ioannis fuerit superfluous: quod est inconueniens. Non ergo circumcisio fuit preparatoria, & figuratiua baptismi.

S E D contra est, quod Apostolus dicit Colof. 2. Circumcisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis; sed circumcisione Christi, conscripti ei in baptismo.

R E S P O N D E O dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei: in quantum scilicet in baptismo fit quedam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra, & antiquorum patrum, secundum illud Apost. 2. Cor. 4. Habentes eundem spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quedam protestatio fidei. Vnde dicitur Rom. 4. quod

N 2 Abta-

406
Sup. q. 68
a. 1. ad 1.
¶ 1. 2. q.
101. a. 5.
c. ad 1. et
3. Et 4 d.
1. q. 2. ar.
1. q. 1. c.
et d. 2. q.
1. a. 2. ad
5. ¶ Ro.
2. le. 2. co-
lum 2. ¶
le. 4. col. 4
q. 38. a. 1.
2. ¶ 3.

Abrahā accepit circumcisiōnē tamquam signaculū fi dei. Vnde & per circumcisiōnē antiqui aggregabatur collegio fidelium . Vnde manifestum est , quod circumcisiō fuit præparatoria ad baptismum , & præfiguratiua ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant (vt dicitur 1. Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro .

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisiō habebat similitudinē cum baptismo, quantum ad spirituales effectus baptismi . Nam sicut per circumcisiōnē auferebatur quædam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur à carnali conuersatione .

Ad secundum dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris Rubri, fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare Rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nubis. Non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisiōnē. Et ideò prædicta * duo erant tantum figuræ, & non sacramenta. Circumcisiō autem erat etiam sacramentum præparatorium ad baptismum : minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta . Et ideò Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcisiōne .

* In ista solutio. et in arg.

In corp. art.

407

1. 2. q. 102

2. 5. ad 1.

et 9. 103.

2. 1. ad 3.

et 4. d. 1.

ar. 2. q. 4.

c. 9. 2.

ar. 1. q. 3.

per tot.

* ar. præc.

Ad tertium dicendum, quod baptismus Ioannis fuit præparatorius ad baptismum Christi, quantum ad exercitium actus : sed circumcisiō quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est * .

ARTIC. II.

Vtrum circumcisiō fuerit conuenienter instituta ?

Ad secundum sic proceditur . Videtur, quod circumcisiō fuerit inconuenienter instituta . Sicut enim dictum est *, in circumcisiōne fiebat quædam fidei professio . Sed à peccato primi hominis nullus unquam saluari potuit, nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Roman. 3. Quem proposuit Deus

pro-